

INDEX DISPUTATIONUM

Theologicarum

sub Praesidio Leonb. Hutleri.

De Confessione Augustana

2 De unitate essentiae divi-  
nae et personarum Trinitatis

3 De personarum in unadi-  
vina essentia differentis  
notis characteristicis ordine  
et de generatione ac divi-  
nitate filii Dei aeterna

4 De divinitate Spiritus Sancti  
ejusque aeterna processione  
a Patre et filio, et de Sa-  
cramentis tam veteribus quam  
recentioribus etc.

5 De peccato originali per  
difficiliam scripturam polysemam  
opposita.

6 De blasphemia in Spiritum  
sanctum sive peccatum ad  
mortem

7 De unione hypostatica du-  
arum naturarum in Christo

8 De communicatione et  
naturarum et eorum  
Idiomatum in Christo

9 De officio Christi sacerdo-  
tali et statu Summationis

10 De officio Christi re-  
gio, et statu exalta-  
tionis

11 De justificatione ho-  
minis peccatoris coram  
Deo

12 De efficacia ministerii  
verbi et sacramentorum  
Dei Ministeriorum Ecclē-  
siae vocatione

13 De bonis operibus

14 De Ecclesia a. 7. 8. c. 11.

15 De Sacramento ingere-  
re 13 a. c. 4.

16 De Baptismo, c. 4.

17 De Coena Domini. 10

18 De Penitentia et  
Confessione 11. 12

19 De Traditionibus hu-  
manis in Ecclesia  
15. 16. 17. ar.

20 De rebus civilibus  
et potestate Ecclē-  
siastica. 16. 17.

21 De extremo pudore  
22 De libero arbitrio  
23 De causa peccati  
24 De cultu sanctorum  
25 Ex Jerem. Ecce agnus  
illi Dei qui tollit peccata  
mundi

26 De verbo Dei  
scripto seu Scriptura  
in sacra.



DISPUTATIO I.

*De*

VERBO DEI

SCRIPTO, SEV

SCRIPTURA

SACRA,

*DE QVA,*

Christo Servatore benè iuvante,

*Sub presidio*

LEONHARTI HVTTERI,

S. THEOLOGIAE DO-

CTORIS,

*Ad diem 12. Maij respondebit*

M. IOHANNES PAPPVS

ARGENTINENSIS.



I E N Æ

TYPIS TOBIAE STEINMANNI,

ANNO MDXCVI.





MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS & Prudentissimis  
viris

D. IOHANNI PHILIPPO  
à KETTENHEIM, Liberae Argentinensium Reipub. pratorio, Academiae  
Cancellario :

D. IACOBO KIBSIO Consulari :

D. IOSIAE RIHELIO XIII viro,

*Inclytæ Argentinensis Academiae Scholarchis,*  
*Dominis ac Patronis suis perpetua fide,*  
*debitaq; observantia*  
*colendis,*

Hanc de

VERBO DE ISCRIPTO

Disputationem

IN

*Studiorum testimonium,*

*Observantia pignus,*

*Grati animi Symbolum.*

D. D.

M. JOHANNES PAPPVS  
*Argentinensis.*



T H E S E S  
De Scriptura Sacra, quæ est verbum  
Dei viventis.



SCRIPTURA, quam à potiore sui parte  
Sacram appellamus, eos continet libros, qui  
καὶ ἐξοχήν Bibliici nominantur.

2. Constat autem, quosdam ex his libris  
sine ulla contradictione, certa & consentien-  
tia sue autoritatis, ab universa prima & ve-  
teri Ecclesia habere testimonia: de quibusdam verò ab eadem  
semper fuisse dubitatum.

3. Illos κανονικὰς, γνησίους, ἐνδιαθήκας, καθολικὰς, ἀναμ-  
φιλέκτους καὶ ὁμολογημένους: Hos verò ἀποκρύφους, ἀγιογρά-  
φους, ἐκκλησιαστικὰς καὶ ἀμφιλέκτους S. patres appellare con-  
sueverunt.

4. In vetere ergò Testamento eos solos ad Canonem Scri-  
ptura Sacra pertinere asserimus, quos Hebraei sive Iudæi in suo  
Canone Hebræo agnoscunt: & à numero librorum Esrim ve-  
arba nominant.

5. Vt enim in ipso Canone Hebræorum nullus est liber, qui  
non à Christo Servatore & Apostolis citetur: ita vicissim ex-  
tra Canonem illum nullus est, cuius autoritatem aliqua certo-  
rum Novi Testamenti librorum laudet citatio.

6. Neque verò vel tantillum Pontificios subleuat, quod nos  
in designandis veteris Testamenti libris Canonicis, Iudæorum  
potissimum, reproborum quippe & à Deo reiectorum testimo-  
nio stare cavillantur.

7. Quanta enim Iudæorum testimoniij hac in parte sit  
tùm necessitas, tùm autoritas, D. Augustinus multis in locis

præclare explicat: ut Epist. 3. ad Volusianum. l. 12. contra  
Faustum Manichæum, cap. 23. & l. 16. contra eundem, cap.  
21. & alibi.

8. In primis verò Tomo octavo suorum operum, in expli-  
catione Psalmi 56. sic scribens: Propterea Iudæi adhuc sunt,  
ut libros nostros portent ad confusionem suam: Quando e-  
nim volumus ostendere prophetatum Christum, proferimus  
paganis istas literas: & ne fortè dicant duri ad fidem, quia  
nos Christiani illas composuimus, ut cum Evangelio, quod præ-  
dicamus, sinxerimus prophetas, per quos prædictum videretur  
quod prædicamus, hinc eos convincimus, quod omnes illa lite-  
ra, quibus Christus prophetatus est, apud Iudæos sunt, omnes  
illas literas Iudæi habent, proferimus Codices ab inimicis, ut  
confundamus alios inimicos. In quali ergò opprobrio sunt  
Iudæi, Codicem portat Iudæus, unde credat Christianus: libra-  
rij nostri facti sunt, ut illi portando deficiant, hi legendo profi-  
ciant.

9. Tàm igitur non est contemnendum testimonium Ca-  
nonis Hebraici, quantumvis à iuratis Ecclesie Christi ho-  
stibus Iudæis, petiti, ut potius adversus illos ipsos, & quosvis a-  
lios Ecclesie hostes, vel maxime illud sit necessarium.

10. Neq; enim cum Iudæis de Religione Christiana dispu-  
tare possemus, nisi de horum librorum autoritate cum ipsis  
consentiremus: neq; alijs quibuscunq; gentibus aut hæreticis  
autoritatem librorum istorum persuadere, nisi Iudæi contra  
seipsos de his dicerent testimonium.

11. Apocryphos Veteris Testamenti libros eos constitui-  
mus, de quorum partim autoribus, partim autoritate in pri-  
mitiva Ecclesia fuit dubitatum, atq; ideò ad dogmatum Con-  
firmationem non fuerunt adhibiti.

12. Quorum in censum referuntur, tertius & quartus  
Esdræ, Fragmenta Hester, Oratio Manassis, Tobias, Judith,  
Baruch, Epistola Ieremie, Sapientia liber, Ecclesiasticus sive  
Syracides,

Syracides, Supplementum Danielis, libri Macchabaorum & mnes.

13. Hi ergo publicam in Ecclesia auctoritatem non obtinuerunt, sed ab ijs tantummodo, qui vellent, privatim asseruati; & vel hanc ob causam Apocryphi, quasi occultati sive absconditi dicti fuerunt.

14. Successu tamen temporis in Ecclesia quoque legi ceperunt, hodieque leguntur: sed ut D. Hieronymus admonet, ad aedificationem plebis, non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam, unde Ecclesiastici dici meruerunt.

15. Eadem de hac distinctione librorum Biblicorum, est sanctis etiam patribus mens & sententia. Origenes apud Eusebium l. 6. c. 25. plures non agnoscit Veteris Testamenti libros Canonicos, quam quos Hebraei receperunt. Cui subscribit D. Hieronymus in prologo Galeato ad Paulinum.

16. Cyrill. Hieros. in 4. καληχης, αναγιωσκε inquit τας θείας γραφας τας εικοσι δυο βιβλους: προς η τα αποκριφα μηδεν εχε κοινον. Lege divinas scripturas, viginti duos istos libros. Cum Apocryphis autem nihil tibi rei sit.

17. Nazianzen: Αρχαιας μιν εθηκα δυο ε εικοσι βυβλους. Τοις των εβραιων γραμμασιν αντιθετας.

18. Et ex ipsis Pontificijs Hugo de S. victore, in prologo libri prioris de Sacramentis cap. 7. Et Hugo Cardinalis Carvensis in suo scripto ad prologum Hieronymi in libros Regum; libros Apocryphos, quos supra recensuimus, in Corpore textus & Canone auctoritatis scribi negant: eosque ab Ecclesia recipi quidem ad morum instructionem, non vero ad probationem fidei, disertè testantur.

19. Nugas ergo nugantur Pontificij, cum à Luthero primum hos libros à Canone Scripturarum disjunctos esse blaterant.

20. Ὑπερβολον & illud est, quod Iesuita comminiscitur, ideò

A 3. hos

hos libros à patribus dici Apocryphos, quia nonnulli eorum errores admixtos habeant. Bellar. T. 1. f. 79.

21. Quanquam enim libenter damus, quosdam ex ijs haud ab omni errore esse immunes: negamus tamen hanc ob causam à nobis, pro Apocryphis illos reputari: sed ab ipso iudicio ac testimonio Ecclesiae, quae libros illos secretò habendos, nec in publicis catibus paricum reliquis autoritate recitandos esse voluit, propterea quod consentientia primae Ecclesiae testimonia non haberent.

22. Sunt igitur Apocryphi libri Veteris Testamenti, non ij tantum quos Iesuita enumerat: Oratio Manassæ: Psalmus 151. Davidis, cuius meminit Athanasius in synopsi: Appendix libri Iob, praefatiuncula Threnis Ieremiae praefixa: Liber Hermetis sive pastoris: tertius & quartus Macchabaeorum: tertius & quartus Esdrae: Quorum aliquos rectius nothos, suppositios & adulterinos dixeris.

23. Sed reliqui etiam omnes supra enumerati, qui vel in Hebraeorum Canone non habentur; vel quibus à primis statim Apostolorum temporibus fuit reclamatum.

24. Quod enim Iesuita de Zepherino Pontifice ait, (Bell. T. 1. f. 80.) ipsum melius novisse, quot essent Apostolorum Canones, quam ulli posteriorum: id multò rectius de vetustissimis & primis quibusq; Apostolorum successoribus affirmare possumus, melius eos novisse, quae essent Canonicae & Apostolicae scripturae; quam ullos posteriorum vel Pontificum vel scriptorum Ecclesiasticorum.

25. Detestanda ergo est audacia patrum Tridentinorum (Sess. 4. Decr. 1.) qui pro sua profligata libidine, libros Apocryphos, de quorum & autoribus & autoritate in Ecclesia semper fuit dubitatum, quiq; in Hebraeo Canone non habentur: sed ut quidam patres de nonnullis eorum scribunt, fabulas & somnia continent, in ordinem Canonorum scriptorum reponere, haud erubuerunt.

Imò



26. Imò anathemate ferire haud fuerunt veriti eos, què libros illos omnes, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris & Canonicis non susceperint.

27. Sed ad libros novi Testamenti ut veniamus, planius & manifestius de ijs est omnium penè Doctorem iudicium.

28. Nam citra controversiam pro Canonicis semper habitifuerunt, quatuor Euangelistarum libri: Acta Apostolica: tredecim Epistole Pauli: prima Petri: prima Iohannis. Euseb. hist. Ecclesiast. l. 3. c. 25. l. 4. c. 26. l. 6. c. 18. Hieron. in Epistola ad Paulinum; & in prefatione ad libros Regum.

29. De reliquis verò libris etsi & olim quaesitum fuit, & adhuc hodiè non omnium eadem est sententia: longè tamen maiorem semper in Ecclesia auctoritatem, quàm Apocryphi veteris Testamenti; imò parem propè Canonicis scripturis fidem meruerunt. Athan. in Synopsi. Cypr. in symb. Hieron. in prol. Gal.

30. Sed sunt & alij libri, qui sub Apostolorum nomine à nonnullis iam olim lectifuerunt: ut Evangelium Thoma, Andrea, Nicodemi, Nazaraeorum, &c. de quibus apud Gratianum, dist. 15. c. Sancta Romana, §. E quibus pauca legimus. Item Epistola ad Laodicenses, qualis tamen ab Apostolo scripta, nusquam legitur; Liber etiam Hermae, sive pastoris, & id genus alij, quos nos pro supposititijs & adulterinis meritò habemus.

31. Esse autem hanc scripturam Canonicam, quae Prophetarum & Apostolorum scriptis inclusa continetur, & quidem solam ac unicam, ipsissimum verbum Dei, nos sanè, Christo nomen qui dedimus, neutiquam dubitamus.

32. Evincit enim hoc ipsa Antiquitas, tam quo ad ἀρχαιολογίαν, quàm νομοθεσίαν: comprobatur vaticiniorum certitudo & com

& complementum: confirmant miracula: testatur miranda  
eum Scriptura, tum Ecclesie conservatio: ostendit fortitudo  
martyrum: poena hostium; & sexcenta alia, quae latere luben-  
tes iam patimur.

33. Nihil ergo de verbo Dei verum est: quod non etiam  
de scriptura hac Canonica sit affirmandum.

34. Hinc Scriptura Sacra Canonica sola definitur esse  
doctrina de essentia & voluntate Dei, Spiritus sancti impul-  
su per Prophetas & Apostolos literarum monumentis consi-  
gnata, ut complectatur omnia, quae ad salutem hominibus sunt  
necessaria.

35. Constat ergo sua Scripturae autoritas non ab Eccle-  
sia: multo minus à Pontifice Romano: sed partim & quidem  
praecipue à causa efficiente, quae est Deus. Ioh. 7, 16. 1. Thess.  
2, 13. 2. Tim. 3, 16. 2. Pet. 1, 21. partim à causa materi-  
alis, doctrinae nimirum quam tractat, excellentia.

36. Quamvis enim Ecclesiae autoritate factum est, ut  
Canonici libri pro Canonicis agnoscerentur: non tamen Ec-  
clesia hac in parte iudicis, prae toria autoritate praediti, sed te-  
stis solummodo partes sustinuit.

37. Quemadmodum autem testis non habet potestatem  
pro suo libitu ac arbitrio probandi vel improbandi ea, quae vi-  
dit aut audivit: sed simpliciter ea bona fide narrare cogitur,  
quibus agendis ipse interfuit.

38. Ita Ecclesia neq; ex libro Canonico non Canonicum;  
nec vice versa ex non Canonico Canonicum facere potest aut  
debet: sed summa tantum fide testimonium de manu in ma-  
num tradit, acceptum ab ijs, qui ipsos Apostolos docentes audi-  
verunt.

39. Testificandi ergo de libris Canonicis & Apocryphis;  
non verò mutandi, aut ut Pontificiorum verbo utamur, Cano-  
nizandi potestatem Ecclesiae permittimus.

40. Est enim Scriptura per se auctoritas, ex se suam au-  
toritatem

rem obtinens, utpote quæ non Angelos, non homines, sed ipsum Deum primum autorem unice agnoscit.

41. Qua de causa scriptura sacra non super Ecclesiam: sed Ecclesia super fundamentum Apostolorum & Prophetarum superstructa asseritur. Eph. 2, 20.

42. Imò ita Ecclesia ad Scripturam alligata perhibetur ut ne latum quidem unguem ab ea recedere ipsi fas sit. Deut. 4, 2. & 40. 6, 6. & seqq.

43. Et si vel Angelus de cælo aliud Evangelium annuntiaverit, quàm prædicatum est ab Apostolis, Anathema sit. Gal. 1, 8.

44. Quam in sententiam D. August. l. 2. contra Cresconium, cap. 31. Nos nullam, inquit, facimus Cypriano iniuriam, cum eius quaslibet literas à Canonica divinarum Scripturarum autoritate distinguimus. Neq; enim sine causa tam salubri vigilantia Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertinent, quos omninò iudicare non audeamus, & secundum quos de cæteris literis vel fidelium vel infidelium liberè iudicamus.

45. Et lib. de Unitate Ecclesie cap. 6. Ecclesiam suam si possunt demonstrant, non in sermonibus & rumoribus Afrorum: non in Concilijs Episcoporum suorum; non in literis quorumlibet disputatorum, non in signis & prodigijs fallacibus; Quia etiam contra ista verbo Domini preparati & cauti redditi sumus: sed in præscripto legis, in prophetarum prædictis, in Psalmorum cantibus, in ipsius pastoris vocibus; in Evangelistarum prædicationibus & laboribus, hoc est, in omnibus Canonicis sanctorum librorum autoritatibus.

46. Execranda igitur Eccie blasphemia, scribere haud erubescens, Scripturam non fore authenticam, nisi Ecclesia accederet autoritas: Imò hæreticam esse propositionem hanc: Scripturæ maior quàm Ecclesie est autoritas. Enchirid. de autor. Ecclesie. Resp. 3. ad obiect. hæreticorum.

B

Et Her-

47. Et Hermanni cuiusdam impudentissimi Papistæ asserentis, Scripturas, Ecclesiæ destitutas autoritate, plus non valituras, quàm fabula valent Aesopica. Quam impietatem defendit Hosius contra D. Brentium, l. 3. de autoritate Scripturæ.

48. Sed huius impietatis ipsos etiam Pontificios nuper pudere cepit, dum nonnulli nova utentes distinctione, facti sunt Scripturas quidem ex se firmas, claras, perfectas, fideq; dignissimas esse, utpote Dei opus: sed quoad nos tamen approbatione ac commendatione Ecclesiæ indigere, propter mentis nostræ pravitatem, & intellectus nostri imbecillitatem. Cochleus in replica contra Bullingerum: Stapletonus l. 9. Doctrinal. princ. Andradius l. 3. defens. Trid. Concil. Canisius in Catechismo cap. 3. sect. 16.

49. Iesuita Bellarminus, utpote malè sibi conscius, hanc questionem sicco omninò pede, suis in disputationibus de verbo Dei, satis alioqui prolixis præterit: Quin imò negare non erubescit, se suosq; Ecclesiam Scriptura superiore unquam fecisse: imò hoc nomine insignem à nobis sibi fieri iniuriam conqueritur. Tom. 1. fol. 120 r.

50. Sed missis istis Andabatis ad Scripturæ autoritatem demonstrandam redimus, eamq; contra hos ipsos, nulla sui parte, per se obscuram vel ita ambiguam esse asserimus, ut sensus eius non possit percipi, si ea, quæ in eius lectione attendenda sunt, considerentur.

51. Non in abscondito locutus sum, inquit Iehovah. Ies. 45, 19. Sed habemus firmum propheticum sermonem, quasi lucernam, lucentem in loco caliginoso. 2. Pet. 1, 19. Psal. 19, 9. 119, 105.

52. Et sanè cum Dominus ipse ab omnibus ad eò hominibus, ac proinde à Laicis etiam Scripturam legi, seriò velit; vel inde manifestum est, scripturam non ea, cuius adversarij ipsam insimulant, obscuritate laborare.

Quod.

53. Quod si enim ulla talis scriptura sancta inest obscuritas, inerit illa vel Legi, vel Evangelio. At neutri parti ulla inest obscuritas. E.

54. Non Legi: Quid enim magis perspicuum dici potest, quam quod in ea Deum iubemur diligere ex toto corde, tota anima, & omnibus viribus: & proximum, sicut nos ipsos?

55. Non Evangelio: Quid enim queso obscuritatis continet, brevis illa totius Evangelij summa? Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Ioh. 3, 16.

56. Etsi verò inficias minimè imus, loca quaedam δυσνόητα, difficiliora & obscuriora, sacris in literis reperiri: minimè tamen ea perspicuitati Scripturae vel tantillum officere statuimus.

57. Nam ut rectè D. August. inquit: Spiritus sanctus Scripturas sacras ita magnificè & salubriter modificavit, ut locis apertis, fami occurreret; obscurioribus autem fastidia detergeret: Siquidem nihil de illis obscuritatibus eruitur, quod non alibi planissimè dictum reperiatur.

58. Quin ipsum quoque sermonis genus animadversum, aut notata linguae proprietates, lucem manifestissimam sepiùs infert ijs, quae priùs videbantur obscurissima.

59. Quod verò Scripturae sensus non omnibus hominibus innotescit, causa rei non in ipsa scriptura, quae per se & in se considerata est clarissima: sed in ipsis hominibus, qui vel scripturam scrutari, vel eiusdem proprium ac genuinum sensum, ex alijs audire, grave sibi ducunt.

60. Quare non obscurum, sed tectum esse suum testatur Evangelium Apostolus, in his, qui pereunt, in quibus Deus huius seculi excæcavit sensus incredulorum: ne illucesceret illis lumen Evangelij glorie Christi. 2. Cor. 4, 3.

61. Et sanè huiusmodi hominibus scriptura necessario est

B 2 obscura,

obscura, ut qui, cum ἀπαθεῖς sint & ἀσήμενοι, Scripturam in suam ipsorum perniciem detorquent. 2. Pet. 3, 16.

62. Idem planè hac de re sentit universa Orthodoxa Antiquitas. Chrysof. in 2. Thess. 2. Omnia clara sunt ac plana in scripturis divinis: Quaecumq; necessaria sunt, manifesta sunt.

63. Idem Homil. 3. de Lazaro. Tom. 2. Fieri non potest, ut omnia ex aequo ignores: Siquidem ita Spiritus gratia dispensavit illa temperavitq; quò publicani, piscatores, tabernaculorum opifices, pastores, Idiota illiterati per hos libros salvæ fierent, ne quis Idiotarum ad difficultatis confugere posset excusationem.

64. Constat hinc quanta Antichristi Romani fuerit hætenus, hodieq; sit Tyrannis, qui ne Scriptura sacra vel in linguam cuiq; populo vernaculam convertatur: vel conversa imprimatur, vendatur, & à Laicis potissimum legatur, anathematis stricto fulmine inhibere ausus fuit.

65. Sanè Christus Servator non clericos tantum, sed omnes indifferenter homines, Scripturam legere & scrutari disertè iubet. Ioh. 5, 39.

66. Neq; eatenus saltem iubet, ut Pontificij contendunt, quatenus ea ad formandos mores, & sanciendam pietatem prodest: verùm etiam quatenus salutis adipiscenda rationem, & controversiarum dijudicationem inde legentes & scrutantes percipiant.

67. Iubet enim quosvis dignoscere pseudoprophetas Christus, Matth. 7, 15: iubet in articulo ad salutem maximè & necessario & controverso, nimirum de Messia, omnes indifferenter suos auditores, scrutari scripturas. Ioh. 5, 39: iubet Apostolus Thessalonicenses omnia probare. 1. Thess. 5, 21: id quod Berrhoëenses (qui certè in Laicorum censu habendi) & quidem μετὰ πάσης προνοίας fecisse, Actorum Apostolicorum testatur historia. cap. 17, 11.

Neq;

68. *Neg<sup>s</sup> tamen propterea affirmamus, vel Scripturas sine gratia & illuminatione Spiritus sancti, proprii intellectus vigore & excellentia posse intelligi: vel omnes promiscue homines prophetiae sive interpretationis dono esse praeditos.*

69. *Vt enim prius illud solius Dei donum esse libenter fateamur, 1. Cor. 12, 10, 11. ita posterius hoc minimè necesse esse, cum Chrysostomo statuimus.*

70. *Nam aliud requiritur à Doctores Ecclesiae, aliud ab auditoribus: Spiritus sapientiae datur docentibus: Spiritus intellectus auditoribus: Ego praedico, tu intelligis, & dictorum mentem capis, docere autem nescis: Spiritus ille donum est sapientiae propter doctrinam: Sed sicut mittit docenti sermonem sapientiae, ita mittit & discenti donum intellectus. (Tom. 3. Homil. de sancto & adorando Spiritu. fol. 890.)*

71. *Ipsa verò interpretatio scripturae, (ut de ea etiam aliquid dicamus) non pendet à Concilijs, aut Pontifice Romano ut sine cuius approbatione seu confirmatione nullius Doctoris, imò ne Conciliorum quidem valeat interpretatio. (Concil. Trid. Sess. 4. Bellar. T. 1. f. 172.)*

72. *Reclamat enim observatio historiae temporum: Si quidem Pontifex Romanus tam non fuit iudex vel Scripturae vel Conciliorum, ut ad Basiliense usq<sup>s</sup> Concilium utrisq<sup>s</sup> longè fuerit inferior.*

73. *Reclamat universa Orthodoxa Antiquitas, quae sua scripta non censura Pontificis, aut Concilij, aut aliorum patrum: sed ipsi S. Scripturae subiecit; ut probant dicta patrum in distinctionem 9. Decreti Iuris Canonici relata.*

74. *Neg<sup>s</sup> etiam pendet Scripturae interpretatio, à privato cuiusq<sup>s</sup> interpretis Spiritu: siquidem is ipse Scripturae subiectus esse debet; neg<sup>s</sup> cuiusq<sup>s</sup> privatum iudicium fidem mereatur, nisi quatenus cum scriptura ipsa consentit. 1. Cor. 14, 32. & 1. Ioh. 4, 1.*

75. *Sed ipsa sibi ad interpretationem Scripturae sufficit,*  
B 3 *ac solus*

ac solus Spiritus Dei in scriptura loquens est audiendus, qui  
quæ aperte & dilucidè locutus est, ea occultè sed efficaciter in  
cordibus nostris confirmat.

76. Hinc est, quod Apostolus dicit, Spiritualem hominem  
omnia dijudicare. 1. Cor. 2, 15. Et unctionem habere à  
Spiritu sancto profectam. 1. Ioh. 2, 20.

77. Quo sensu Hilarius scribit lib. 1. de Trinit. Optimus  
lector est, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis potius,  
quam imponat: retulerit magis, quam attulerit, neque cogat id  
videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit in-  
telligendum. Cum itaque de rebus Dei erit sermo, concedamus  
cognitionem sui Deo, dictisque eius pia veneratione famulemur:  
adoneus enim sibi testis est, qui nisi per se, cognitus non est.

78. D. August. 1. 2. de nuptijs & concupiscentia cap. 33.  
Ista controversia iudicem requirit. At quis iudex erit. Iu-  
dicet Christus, iudicet cum illo & Apostolus, quia in Apostolo  
ipse loquitur Christus.

79. Basil. in Epist. 80. ἡ θεόπνευστος ἡμῶν διακρίσάτω γρα-  
φή, καὶ παρ' οἷς ἀνευρεθῆναι τὰ δόγματα συνωδὰ τοῖς θείοις λόγοις  
ἵνα τῶτοις ἤξει πάντως τῆς ἀληθείας ἡ ψῆφος h. e. Stamus ar-  
bitratu inspirata à Deo Scriptura, & apud quos inveniuntur  
dogmata divinis articulis consona, illis omnino veritas adiu-  
dicetur sententiæ.

80. Constat hinc non Pontificem Romanum, non Conci-  
lia sed solam scripturam esse iudicem controversiarum in cau-  
sis Religionis ac fidei ortarum.

81. Christus ipse cum Satana, scribis & phariseis dispu-  
tans, ex sola scriptura questionum dubiarum sententiam defi-  
nitivam depromere est solitus. Matth. 4, 4, & 10. c. 22, 29,  
& 32, & 42. c. 12, 3. Luc. 20, 37. Ioh. 10, 34.

82. Apostoli dogmata fidei confirmaturi, solius S. scri-  
ptura nituntur præsidio. Act. 9, 22. c. 18, 24. Gal. 3, 6.  
c. 4, 22.

D. August.



83. D. August. in suis eum hereticis certaminibus ad solam S. scripturam provocat, sic scribens ad Maximinum: Neq; ego Nicenum, neq; tu Ariminense debes, tanquam praedudicaturus afferre Concilium: nec ego huius, nec tu illius auctoritate teneris: scripturarum auctoritatibus, non quorumcunq; proprijs, sed utrisq; communibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione certet.

84. Constantinus certe ille verò Magnus, Nicena Synodi patribus hanc decidendarum questionum praescribit regulam: Extant, inquit, libri Apostolici, & Prophetarum sanctiones quae nos erudiunt, quid de rebus sacris sentire debeamus: Posito igitur hostili certamine ex scripturis divinitus inspiratis, questionum solutiones inquiramus. Trip. l. 2. c. 5. Theodoret. l. 1. c. 7.

85. Constat etiam hinc quid de accusatione Pontificiorum qua Scripturam imperfectam, mancam, mutilam esse: neq; in ea omnia ad salutem necessaria esse calumniantur, sit sentiendum.

86. Id nimirum, quod olim Irenaeus de sui temporis hereticis pronuntiavit: Ipsos, dum ex scripturis suorum errorum se convinci vident, in ipsarum scripturarum criminationem descendere.

87. Perfectissimam sanè, suisq; modis ac numeris omnibus absolutissimam & ad salutem sufficientissimam scripturam esse sacram, intrepidè affirmamus.

88. Hec enim eruditos nos potest reddere ad salutem, per fidem quae est in Christo Iesu. 2. Tim. 3, 15.

89. Hec utilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quae est in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus. ibid. vers. 16, 17.

90. Idem passim scriptura testatur. 1. Pet. 1, 23. Rom. 15, 4.

15,4. 1.Tim.3,14,15. Gal.1,8. Ioh.5,39. c.20,3 Act.1.  
20.27. 1.Ioh.1,4,5.

91. Quò pertinet illud D. August. l. 2. de doctr. Christ. c.9. In his, quæ apertè posita sunt in scriptura, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresq; vivendi, spem scilicet & charitatem.

92. Et illud Athanasii contra Gentes: Sufficiunt sanctæ ac divinitus inspiratæ Scripturæ ad omnem instructionem veritatis.

93. Neg; verò perfectionis laudem Scripturæ detrahit Iohannes, non omnia scripta esse, asserens. c.20.20.

94. De miraculis enim, non de doctrina agit Iohannes, negans omnia Christi miracula propter multitudinem scribi potuisse: quæ tantam librorum molem ac copiam peperissent, ut ne universus quidem mundus ijs capiendis par fuisset aut sufficiens. Ioh.21,25.

95. Quid quòd ne opus quidem fuit singula describere, cum ad unum eundemq; finem, illum videlicet, quem ipse Iohannes ibidem assignat, colliment omnia.

96. Quin imò si vel maximè de doctrina ipsa & concionibus Servatoris ageret, uti libenter largimur, non omnes eius Conciones literis esse demandatas: tamen inde ne tantillum quidem Pontificiorum criminationi stabilienda patrocini accederet.

97. Neg; enim alia quò ad sensum, ab his quæ scripta extant; multò verò minus contraria ijsdem, docuisse Christus & Apostoli putandi sunt.

98. Neg; enim alia inquit Apostolus, scribimus, quàm quæ legitis, aut etiam agnoscitis. 2.Cor.1,13. Et Iohannes 1.Epistola 2,7. Non novum mandatum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio: Mandatum autem vetus est verbum, quod audivistis.

99. Quo sensu accipiendum illud D. Augustini. l.1. de  
Con-

Consensu Evangelist. c. 35. Quicquid de suis factis & dictis nos legere Christus voluit, hoc scribendum Apostolis, tanquam suis manibus imperavit. Item. Electa sunt, quae scriberentur, quae saluti hominum visa sunt sufficere. Tractatu in Iohannem 49.

100. Idem iudicium ferendum de illis libris, quos vel iniuria temporum, vel incuria hominum, tam ex novo quam vetere Testamento periisse constat.

101. Eos enim libros duntaxat Spiritus sanctus ad constituendum Scripturae Canonem servatos voluit, quos ad firmandam veritatis doctrinam, & Ecclesiae formam constituendam vidit esse necessarios.

102. Reliquos autem, qui vel in usum certarum quarundam Ecclesiarum peculiariter scripti fuerant, vel illis potissimum temporibus serviebant, interire passus est, tum ne Ecclesia multitudine librorum gravaretur, tum ut curiositate humanae modus statueretur in investigandis ijs, quorum cognitio posteris seculis minus futura erat necessaria.

103. Haec autem Scripturae sacrae perfectio, tam non traditionibus aegyptiis aut decretis alijs indiget, ut omnes omnino traditiones & dogmata alia dissentientia, sub aeterni exitij interminatione ipsamet releget.

104. Hic enim non Apocalypseos modo, sed universae ad eam Scripturae est Epilogus: si quis apposuerit ad haec, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto: Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiae huius, auferet Deus partem eius de libro vitae. Apoc. 22, 18, 19.

105. Neque tamen omnes omnino Traditiones ex agro & finibus Ecclesiae exterminatas volumus.

106. Verum de ijs traditionibus inter nos & Pontificios est disceptatio, quae nullo Scripturarum nixa testimonio passim sub confecto Apostolicarum traditionum tegumento Ecclesiae Christi

C

Christi

Christi obtrudantur: partim à Pontifice Romano in aëres nova excogitantur.

107. Quas omnes pari cum Scriptura pietatis affectu ac reverentia suscipiendas & venerandas esse, Tridentini Concilij patres decernere haud fuerunt veriti. Sess. 4. Decret. 1.

108. Quanquam verò Pontificijs haud inviti largimur, Apostolos pro statu suorum temporum, ritus aliquos observasse τῆν τάξιν καὶ ἐνοχνημοσύνην Ecclesiastica inservientes, qui sacris in literis non sunt expressi: minimè tamen concedimus, eos hoc sine tradidisse Ecclesiae, ut illos vellent esse perpetuos: Alias enim suis eos etiam, ad instructionem totius posteritatis, inseruissent Epistolis.

109. Deinde constat plurimos paulatim post Apostolorum tempora in Ecclesia invaluisse ritus, incertis autoribus, qui perperam Apostolis tribuuntur.

110. Tandem negamus illas ipsas Apostolorum traditiones, parem cum Scriptura sacra auctoritatem obtinere.

111. Quanquam enim non minor est auctoritas Apostoli, ore precipientis, quàm literis mandantis: tamen in ijs ipsis quæ ordinant & precipiunt, sive viva voce id fiat, sive literis, maxima est discrepantia.

112. Alia enim ipsi planè iudicarunt esse necessaria, & ea propter non modò ore tenus de ijs auditores suos instruxerunt: verùm etiam in gratiam totius Christianæ posteritatis, literis consignarunt.

113. Alia verò licet presenti tùm verum & Ecclesiae statui atq; temporis idonea iudicabant: minus tamen, quasi futura perpetua, literis commendare: imò quedam etiam literis expressa certò tamen tantùm temporis accommodata esse voluerunt: qualis fuit traditio de abstinentia ab immolatis, suffocato & sanguine. Act. 15, 20.

114. Optimum igitur & tutissimum est consilium, ut, quod

quod de Polycarpi traditionibus Irenaeus & Eusebius referunt  
πάντα σύμφωνα τῶν γραφῶν, Omnia fuisse S. literis consona:  
Et quod Socrates dicit: Cum varia iactarentur Apostolorum  
traditiones, quia non poterat ostendi ἑγγράφος ἀποδείξις, idē  
iudicatum fuisse, Apostolos nihil de talibus rebus statuisse.

115. Ita & nos hodiē omnes illas traditiones, ad certissi-  
mam illam S. Scripturae regulam & amussim, ceu Lydium la-  
pidem, examinemus: τὰς σύμφωνα τῶν γραφῶν ἀεγδόσους,  
probemus, τὰς δὲ ἄσφύνας, quocunq; etiam veniant nomine,  
liberē & intrepidē reijciamus.

116. Quam tetra enim & abominanda haereses, uti Ba-  
silidianorū, Carpocratianorum, Valentianorum, Marcioni-  
starum, Montanistarum, Chiliastarum, Artemonis, &c. sub  
Traditionum Apostolicarum latibulo, in Ecclesiam fuerint in-  
vectae, Irenaeus, Clemens Alexandrinus, Eusebius, imō tota  
Ecclesiastica testatur historia.

117. Quibus verō rationibus, vel fraudibus potius ac  
imposturis, Pontificū suarum Traditionum Centoni authorita-  
tem conciliare, sed frustra conentur: de ἡς τὸν θεῶν in ipso dis-  
putationis actu videbimus.

118. Vela igitur iam contrahimus, & crassissimos Ponti-  
ficiorum errores de verbo Dei omnes ac singulos: cum primis  
verō blasphemias illas voces, quibus Scripturas insignire solent,  
dum eas nominant incertas, ambiguas, obscuras, dubias,  
Sphingis enigmata, Protagorae principia, Sibyllae folia, materi-  
am litis, regulam Lesbiam, plumbeam, & in omnes partes fle-  
xibilem, nasum cereum, & quae sunt huius generis pulchella  
Emblemata alia, toto pectore detestamur.

119. Reijcimus etiam ac damnamus omnes tam veteres  
haereses, in sacrā & Canonicam Scripturam sacrilegas: quam  
recentiores Enthusiatarum sive Schuvenckfeldianorum, &  
Anabaptistarum furores, quorum illi Scripturam sacram, lite-

*Veram mortuam appellitare: hi Veteris Testamenti usum ex  
Ecclesia Christianorum exterminare conantur.*

*120. Faxit Deus Opt. Max. ut verbum suum, quod quo-  
vis gladio ancipiti penetrantius, pertingit ad divisionem usq;  
anima simul & Spiritus, Hebr. 4, 12. perfectos nos reddat, ad  
omne opus bonum instructos, 2. Tim. 3, 17. ut credentes  
quod Iesus Christus sit Filius Dei vivi, vitam  
habeamus in nomine eius.*

*Ioh. 21.*

*A M E N.*



*[Faint handwritten Latin text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*

94 A 7389

56


ULB Halle 3  
 002 716 291  


77/10









DISPUTATIO I.  
*De*  
**VERBO DEI**  
 SCRIPTO, SEV  
 SCRIPTURA  
 SACRA,  
*DE QVA,*  
 Christo Servatore benè juvante,  
*Sub presidio*  
**ONHARTI HVTTERI,**  
 THEOLOGIAE DO-  
 CTORIS,  
*Ad diem 12. Maij respondebit*  
**IOHANNES PAPPVS**  
 ARGENTINENSIS.



**I E N Æ**  
 PIS TOBIÆ STEINMANNI.  
 ANNO MD CXXVI.

